

**Venae sectio praeservatoria, disputatione inaugurali ... / exposita auctore  
F. Kilian.**

**Contributors**

Kilian, Franz.  
Schoenmetzel, Franz.  
Universität Heidelberg.

**Publication/Creation**

Heidelberg : J.J. Haener, 1771.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/fe827dgh>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

VENÆ SECTIO  
PRÆSERVATORIA,  
*DISPUTATIONE INAUGURALI.*

PRÆSIDE

FRANCISCO SCHOENMETZEL,  
PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORE, INSTIT. ET  
ARTIS OBST. PROFESS. PUBL. ET ORDINAR.  
NOSOCOM. MILITAR. MEDICO

IN ANTIQUISSIMA HEIDELBERGENSIUM ACADEMIA

EXPOSITA

AUCTORE

FRANCISCO KILIAN, Bingenfi,  
MED. LAUR. CANDIDATO, AA. LL. ET PHILOS. MAGISTRO,

*DIE 20 XBRIS ANNO MDCCLXXI.*



**Tollatur abusus,**  
**Maneat usus,**

SERENISSIMO  
PRINCIPI  
JOANNI XI.  
S. R. I. PRINCIPI

DE

SALM - KYRBURG,  
SYLVARUM, RHENI, RENEBER-  
GÆQUE COMITI, L. B. IN VINSTINGEN, DO-  
MINO IN WILDENBURG, FLOHNHEIM, TRONECKEN,  
DIMERINGEN, WOERSTAT, ET UFFHOFFEN,  
L. B. DE LEUTZE, DITIONIS  
SIENENSIS DOMINO,

*DOMINO DOMINO AC MECÆNATI  
SUO CLEMENTISSIMO.*

SERENISSIME  
S. R. I. PRINCEPS  
DOMINE DOMINE  
CLEMENTISSIME!

**U***t glorioso nomini TUO Theses hasce inscribere,*  
*meque totum TIBI consecrare præsumerem,*  
PRINCIPALIS TUUS, *quo Litteratos præprimis*  
*complecteris, favor suavit, SERENISSIME PRIN-*  
CEPS! *magna nonnisi & illustria, fateor, TE de-*  
*cent, exiguas tamen hasce pagellas gratioso oculo in-*  
*tueri non dedignaberis, solis immitatus indolem, qui,*  
*dum montium cedrorumque vertices inaurat, tenues quo-*  
*que*

*que submissis in vallibus plantas radiorum suorum ubertate beat. Ut hæc auderem, animum erexit PRINCIPALIS TUA Clementia Sapientiæ conjuncta, qua non oblatis tenuitatem muneris pensitare, sed voluntatis affectusque pietatem approbare consuevisti.*

*Suscipe ergo SERNISSIME PRINCEPS! primum laborum meorum fructum, quem devota mente TIBI destinare, destinatum consecrare, consecratum*

**TIBI**

*TIBI offerre & dedicare concupisco, e planta venit,  
quæ majora nondum fert, excrescens TE protegente  
in arborem forte plura geram*

PRINCIPALIS SERENITATIS  
TUÆ

*Clientum infimus*  
Franciscus Kilian, Bingenfis.



## L. B.

**N**e multum novi, Lector Medice, exspectes, quæ enim hic congesta, alibi passim, studium enim hoc nostrum erat, dicta reperies. Quod autem in re notissima fusior forte tibi videar, in malam mihi ducere partem noli. Plura profecto in praxi, & tibi notum erit, indies occurrunt, quæ docile æque publicum, ac expertum exposcunt Medicum: quare, si quas opiniones, quæ praxin difficilem reddunt, per publicum diffusas, reperire licet, harum correctionem moliri non inutilem Laborem censemus. Cum autem hæc huic Labori pagellas destinare placuit, quod præsentis occasione per publicum distributæ a Lectoribus etiam non Medicis legi possint, quæ hic occurrunt non solis scripta Medicis, ast nostro amantissimo quoque publico habeantur. Duo autem hic præstare animus est, primum, ut, cum ex hisce appareat, quam facile sanitas labefactari possit, sanitatis melior, non modo cura habeatur, verum ne illi, quibus infirmior ob vitæ rationem sanitas est, notissimo forsân seducti adagio ( *medice vivere, misere vivere.* ) Medicorum consilia  
vel



vel aspernant, vel negligant, quippe tutius & facilius imminentes avertuntur morbi, quam præsentibus curantur: Alterum, ut, cum V. sectionem præservatoriam atro notatam colore metuemus, utilissimum hocce sanitatis præsidium & rationi consentaneum & optimis omnium temporum Medicis usitatissimum ostendamus. Ad hæc, si nostræ pagellæ vel minimum conferre possint, famam, quæ novitatis studio comparatur, lubentissime mittimus.

Quodsi autem & hic quædam reperias, quæ, quod Stahlî, cujus merita nullus in praxi versatus Medicus aspernabit, sententiam tueri videantur, ad Medicos scripta intelliguntur, nos cum sauvagio a Stahlianis æque ac Mechanicis, si rem accuratius contemplantus sis, differre percipies. Hi animæ, illi organizationi seu mechanismo omnia tribuunt, nos qui sensibilitatem, quam soli materiæ adscribere merito hæsitamus, omne animare corpus vivum deprehendimus, illam partim menti, partim corpori deberi opinamur, quorum miscella (sit venia verbo) principium sentiens constituere nobis vedetur Vale.





DE  
VENÆ SECTIONE  
PRÆSERVATORIA.

---



Indubitata quodsi præcipuorum omnis ævi Me Dissert. mo-  
dicorum fuerit opinio, quod & levissima re-  
media cunctanter nunquam sint adhibenda, menta,  
cum talia, quæ vires vitales aggrediuntur,  
in usum veniant, prudentia in administrandis opus erit  
longe maxima. Siquidem ea virium est præstantia vita-  
lium, ut sanitatem non modo sustineant, verum ipsa cum  
illis vita periclitetur: quod enim elater horologio est, quo  
infirmato aut rupto illud vel depravatur vel consistit, hoc  
illæ vires ad vitam conferunt: Verum quis omnia quæ  
nocere possunt, atque ab imprudentibus adhibita, sæpius  
detrimento sunt, remedia respuat? sectator enervatæ artis  
Medicus nunquam profiteri illam pro dignitate valebit.  
Siquid autem novimus remedium, quod vires afficiat vi-  
tales, imo in universum agat corpus, V. sectione poten-  
tius nullum habemus cognitum: cum enim per V. sectionem  
vasa depleantur, atque imminuatur cruor, inde laxantur  
A solida



solida, cordis ac vasorum actio moderatur, liquidique nervei scaturigo imminuitur, qui fieri aliter non poterit, quam quod illius effectus in vires vitales totumque corpus diffundantur. Quare uti mirandos omnino effectus in quam plurimis præstat malis V. sectio, sic male administrata incredibile sæpius damnum infert; quo factum fuisse videtur, quod, qui V. sectionis virtutem experientia comperitam haberent, incauti hanc nimis attollere laudibus, alii vero imminentes ab illa noxas cum perpenderent, meticolosi nimium hanc plurimum suspectam reddere non dubitarunt. Itaque si ullius remedii usus exposcat modum, quod ille in V. sectione adhiberi debeat, nunquam non satis commendandum existimamus. Ast utilissimum lice hoc argumentum nuperi generalius perspicacissime disquisitum fuerit, ut juxta omnem illud investigare ambitum inutile habeamus; attamen, an inter prophylactica, de quo altercari videtur, V. sectio sit numeranda specialiori submittere disquisitioni, laborem haud inutilem censemus.

Confer V. sectionis veram indicationem Præfide clariff. Gattenhoff.

Differt. divisio.

Hæcque ut disquisitio ordine possit institui, primum prophylaxeos necessitatem disquirere, illamque ex ipsius sanitatis consideratione eruere liceat, queis perpensis summa V. sectionis prophylacticæ utilitas melius patebit.

Sanitatis considerat:

Cum cordis ope circuitus sanguinis continuatur aut ab accedente stimulo vel inchoari vel renovari potest, vivere tum animal dicitur. Verum non vitam solum in producendis natura animalibus intendit, ad communem cum quodlibet finem destinaverit, tali id constructum artificio oportet, ut suam omnem destinationem possit assequi. Est propterea cuilibet conveniens duratio, est conveniens in subeundis agilitas ac aptitudo in muniis, est conveniens in illis præstandis constantia, quæ ne tam facile deficient, adeo mire diversas corporis partes efformavit naturæ, atque coordinavit, ut omnes non modo mutuum sibi subsidium ferant, verum singulæ ad totius conservationem consentiant.

Quod



Quod omnibus natura animalibus liberaliter concessit, hoc animalium præstantissimo homini non denegavit. Vitæ cor, vasa majora atque pulmo præfunt, horum enim ope sanguis præparatur, ac circulum suum absolvit; totius conservationi viscera abdominalia præfunt, quod horum ope novus continuo humor elaboratur, qui liquida omni momento exhalantia renovat, attritisque applicatus solidis illa conservat: huc collatoria quoque illa spectant, quorum ope noxium atque superfluum e corpore eliminatur. Motui præfunt muscoli, qui nervorum ope cum principio sentiente conjuncti ex principii illius vel libera vel necessaria determinatione diversos motus corporis producant. Ex cerebro omnes prodeunt nervi, a quibus organa sensuum tam in quam externorum energiam suam obtinent. In cerebro denique subtilissimum illud liquidum conficitur, quod per nervos ad intima quam plurimarum partium stamina delatum, his vim se movendi, sensibilitatem, atque irritabilitatis Materiem suppeditat. Quo sensus tam in quam externi vigorem suum obtinent.

est omnium  
partium con-  
sensus.

Cor itaque pulmo & vasa majora dum actione sua omnem animent machinam, ipsa quoque motui musculis proprio vim debent, suam musculi actionem influenti liquido nerveo, suam liquidum illud elaborationem cerebro, determinationem sensibilitati, totam autem conservationem liquidis in vasis a visceribus elaboratis; quæ omnia vero cum ex integritate cerebri & nervorum & copia humoris ad caput delati proveniant, cordis actionem iterum agnoscunt, adeoque dum solida corporis humani fluida elaborant, ipsarumque motum continuant & robur & integritatem & vim solidis conciliant fluida: mutuum autem utrorumque commercium, sentiens in corpore principium sustinet, cujus ope illud dirigitur. Mirabilis ille partium consensus, cum aptum reddat hominem, qui naturæ instituto satisfaciatur, hominis perfectionem constituit, quæ generalissimum sanitatis conceptum involvit. Generalior autem est illa sanitatis consideratio, ad Medi-



cum viventis hominis corpus tantum spectat, quod quam diutissime ut conservet integrum, annitatur: ille ergo corporis humani status, in quo omnes actiones & functiones corpori humano convenientes vel debite peragantur vel peragi possunt, Medico sanitas dicitur.

Principia sanitatis.

Ad hunc corporis statum autem certa quædam solidorum ac fluidorum dispositio, sentiens principium, res extra corpus positæ, quarum tamen usum vitare haud possumus, potissimum conferre videntur. Cum corpus nostrum ex fluidis solidisque partibus constet, vitæque a reciproca diversorum horum corporum actione subsistat, quo perfectius utraque suas in se invicem vires exerant, eo major totius perfectio, vita perfecta erit, in quo summa sanitatis est; ut autem diversa hæc in se invicem debite agere possint, ex solidis æque ac fluidis diversæ requiruntur conditiones, quorum ope hæ actiones debite perfici possint.

Conditio communis.

Conditiones solidis propriæ.

Conditiones fluidis propriæ.

Ex his conditionibus quædam partim & fluidis & solidis communes sunt, quo spectat elementorum conveniens miscela, huic enim solidorum ac fluidorum terminos debemus, hac immutata fluida solidam, uti solida fluidam induere naturam videntur. Partim proprie illis conveniunt; ad solida spectant structura, ex qua consistentiam, rigiditatem, laxitatem, tensionem, partium magnitudinem, continuitatem, contiguitatem, situm & mobilitatem habemus. Spectat elaterium, quæ est proprietas solidi, qua pressum aut distractum se restituit: His autem solidi robor debemus, quo flexum, vel distractum se contrahit, vel flexioni vel distractioni & fracturæ resistit, quæ sunt omnium actionum a solidis præstandarum fundamenta. Ad fluida autem quantitas, crasis, & fluxilitas potissimum spectant. A quantitate conveniente omnia vasa ac solidorum interstitia debite replentur. Columnarum liquidi continuitas subsistit, vires fluidorum absolutæ proveniunt. A debita crasi, blanda illa humorum indoles est, qua minima vasa absque erosionem permeare



meare possunt, propria ac peculiaris illa cuilibet humori indoles est, a qua diversa in corpore præstantur, atque quod quilibet humor suis in vasis contineatur. A fluxilitate demum facilis illè per omnia vasa motus dependet. Atque cum ex hisce & solidorum & fluidorum actiones reciprocæ veniant, quæ actionum integritatem ac propterea vitam perficiunt, quod ad sanitatem conferant, nemo in dubium vocabit.

Verum frustra conditiones hæ diversæ in corpore nostro summo cum artificio dispersæ forent, nisi principium quoddam, inertem movens materiam, illi inditum foret, frustra, cum ipsa machinæ composita nimis structura obsit, nisi principium mox omne noxium removens illi præfixum, hæc tam mirifice foret combinata.

Sensus principium corpori vivo inesse nemo negat, cui enim alio principio irritabilitatem & sensibilitatem ab Hallero elegantissime stabilita adscribamus? cum enim *contractiones*, juxta GAUBIUM \* *irritamentis minime respondeant, nec in solido vita destituto producantur, irritamenta, occasiones duntaxat nec veræ contractionis causæ sunt*; quapropter juxta illum duas in solido vivo concipere facultates licet, alteram sentiendi, qua stimuli actionem suo quodam modo percipit: alteram movendi, qua sese contrahendo vim vi opponit. Hoc autem omnes producere motus atque sanitati præesse suadet ratio & innumeræ observationes confirmant; quodsi enim facultatem sentiendi propius contemplemur, illa componi ex affectione nervorum & perceptiõe illius affectionis videtur. Perceptionem nervis tanquam materiæ adscribere non possumus; Ex mentis itaque cum nervis incognito nobis commercio facultas sentiendi proficiscitur; quod nobis principium sentiendi audit. Verum & nervi motuum organa sunt, in quibus nisi liquidum nerveum moveatur, omnis solidorum motus perit, idem itaque commercium facultatem quoque movendi producit. Movendi itaque & sentiendi facultas ab eodem principio pendet; præterea motus

Est principium  
sentiens in corpore.

\*Confer Gaub  
institut. Patho-  
log. pag. 72  
& 73.

Principium  
sentiens omnes  
motus in corpore  
producit.



Principium  
sentiens sani-  
tati præest.

vel spontanei vel liberi cum nonnisi in solido vivo fieri possint, vita autem facultatem sentiendi inferat, quæ a principio sentiendi proficiscitur, omnes motus in corpore nostro ab hocce principio produci affirmare licebit. Et profecto si materiam omnem inertissimam consideremus, corpus autem nostrum quamdiu vivit, continuo animatum motu; anne aliud hujus motus principium, ac sentiens, motus hocce excitans admittamus? deme cordis nexum cum nervis, qui sensationum instrumenta, deme sanguinem, quo sensus in corde excitetur, illius motum cohibebis: Quodsi autem a motu sanguinis omnium motus humorum dependeat, ab illo autem non modo vita sed & sanitas subsistat, qui fieri poterit, ut cum principii sentientis influxum in motum humorum admittere debeamus, illi sanitatis præsidium denegemus? hocce principium autem sanitatem revera & vitam tueri innumeræ observationes probant; magnum vitæ periculum imminet, & maxime imperterritum ad medullam usque frigidus penetrabit horror, cum noxium occupat ventriculum, atque rejicienda vomitu materies, non ventriculus modo contrahitur, inspiratur aër, thorax distenditur, contrahitur diaphragma, stringuntur muscoli abdominales in regione epygastrica, os diducitur, & appertura narium posterior & epyglotis clauduntur, qui fit, ut tot actiones in unam ventriculi actionem conspirent? nervos, vasa, cellulosæ communionem incusas, sed cur aliæ partes, quibus idem consensus non afficiuntur, cur inter tot actiones, quas producere narratæ prius partes valent, illæ tantum instituuntur, quæ ventriculi actionem promovent, & quid quæso de alimenti & potus necessitate nos monet? quid ad excrementorum excretionem nos incitat? quid nobis, ut a frigore & calore caveamus consiliat? quid immodicum corporis exercitium molestum nobis reddit? cui somnum & vigilias debemus? unde omnes illi motus, qui ad illa, quæ bona nobis vel mala videntur, tam vehementer incitant vel retrahunt? principio exquisitissime sen-



sentienti ni hoc debeamus, cui tribuendum nescio. Atque si elegantissime expositas a Gaubio vires naturæ medicatrices perpendamus, cui alio illas adscribamus principio? deme sensui instinctum, quantum in explicandis hisce phænomenis desudabis. Neque est, quod ex defectu imperii vel conscientiæ hæcce principio sentienti potentia denegetur; sola consuetudo actionum manifeste librarum conscientiam aufert; in terram decidens inscius brachia extendit, oculos offende digito mox palpebræ clauduntur, & somno sepultus ad eum inscius situm se componit, qui commodior est, quam malos eradicare habitus difficile sit, omnes moralistæ norunt: quod autem omnes actiones libero animi imperio non subjaceant, ne mireris, voluntas actiones cognito ex motivo tantum instituit, quæ instinctu producuntur, cum ex sensu fiant, necessario fiunt, neque omnium perceptionum conscientia est necessaria sola intellectui conscientia convenit, & quomodo illa deficiente clara perceptione fiet?

Ast dum sentiens principium corporis conservationi accuratissime invigilat, ne magna ex parte mollis ac ingentes affrictus sustinens machina brevi depereat, ut quamplurima in conservationem sui corporis impendat necesse est, horum quædam in ipso corpore fiunt, quædam exterius accedunt.

Alimentorum necessitas cuilibet experientia innotescit, & quæ ad corporis integritatem conferant, Medicis notissimum est; alimentis enim in chylum immutatis reparatur sanguis, ex quo tot humores secedunt, ab acescente chyli indole corruptio sanguinis præpeditur, blanda atque viscida indole sanguini non consistentiam modo debitam conciliat, verum acriores illius particulas involvendo blandum inde format humorem, intimæ cujus particulæ æqualiter mixtæ existunt, ex quo succum illum natura præparat, qui solidis partibus continuo applicatus illam, quam omni momento patiuntur substantiæ deperditionem, restituit.

*Res externæ ad sanitatem conducentes, ad quas instinctus incitat.*





Potus in chyli omniumque humorum dilutionem, majorem tenuitatem, faciliorem per vasa minima circulum infervit, aquosus acriora solvit, illaque cum superfluis per convenientia eliminat organa, fermentatus præterea oleosis demulcet, particulis spirituosus paulisper stimulando vim vitalem & cum illa omnes inde pendentibus excitat actiones, quæ perfectius propterea absolvuntur.

Aër inspiratione in pulmones ductus iter sanguinis per pulmones expedit, illius calorem imminuit atque raritatem condensat, in ventriculo & intestinis alimentorum solutionem juvat, harumce partium actionem suscitatur, & cum chylo ad humores deductus exteriori admosphære pressioni resistit, cumque succo nutritio ad partium intimam compagem delatus minimarum cohæsiõnem particularum promovet, diversis applicatus superficiebus perspirabilem fugit materiem, atque foras trahit, exteriori corporis superficiei firmitatem & resistantiam contra aëris interni ac liquidorum nixum suppeditat.

*Actiões quædam ad sanitatem necessariæ quæ licet libera videantur maxima ex parte ab instinctu reguntur,*

Inter ea quæ a libera quidem determinatione pendere videntur, quorum tamen necessitas non minus naturali quodam stimulo urgetur, cum ad sanitatem quamplurimum conferant, exercitium corporis ac quietem, somnum ac vigiliam atque excretionem referimus, nam exercitium corporis circulus humorum per omnia vasa & præsertim venosa, contextum cellulosum atque in abdominalibus præcipue promovetur, humores attenuantur omnes, & quilibet intimius miscetur, excretio, omnes secretionem melius absolvuntur, nutrientes firmiter apprimuntur particulæ, quo majus robur solidis & major corpori vigor accedunt.

Quiete liquidissimarum jactura partium imminuitur, his facilior inter solidorum stamina accessus conceditur, solida minus atteruntur, facilius liquidum reparatur nervum, rarior totius corporis contextus fit, quo partibus major mobilitas ac flexibilitas atque ad motum aptitudo conciliatur. Atque quæ bona in corpus ex quiete redundant, ea longe perfectius in somno contingunt. Omnia

tam



tam internorum quam externorum sensuum organa cum subsistant, hæc ea lege optime reparantur. Æqualior cum fiat per omnes partes humorum circulus, pulsus fortior & respiratio profundior sit, non modo sanguis ipse melius elaboratur, verum cum attritus ob defectum exercitii corporis in vasis minuatur minimis, & omnes vitalibus exceptis, actiones sistantur, humores undique æqualiter distribuuntur, blandiores manent, imminuitur perspiratio, quo fluidissimum humorum, succo refertum nutritio, ad omne corporis punctum quam commodissime defertur; Unde vasorum & molioris substantiæ repletio, ipsaque nutritio melius perficiuntur.

A Vigiliis autem ea inprimis ad sanitatem commoda proveniunt, quæ partim ab exercitio corporis, partim a liberis illis actionibus dependent, queis cuncta nobis bona, quæ in nostri conservationem utilia videntur, comparare, mala autem removeare possumus: Bona, quæ eo avidius petimus, quod instinctu quodam cæco ad hæc abripimur; Mala, quæ eo reformidamus magis, quod tota illis natura oblectatur: Hic appetitus, hæc averfatio pathemata animi dicuntur, justum quorum moderamen, eo magis sanitati prodesse necessum est, quod nostram incolumitatem pro fundamento habeant. Atque humana ex hæcenus dictis machina, cujus artificiosam nemo non admiratur structuram, suam obtinet integritatem, suisque subeundis functionibus par redditur.

Verum ea ipsa, quæ ad nostram conferunt sanitatem & morborum principia continent, quæ nocentium inter-  
 ventu potentiarum evolvuntur, (semina morborum Gau-  
 bio dicta) hæc seorsim in solidis atque in fluidis diffusa,  
 hæc ex reciproca utrorumque actione exsurgere, hæc ab  
 ipso sentiente fecundari principio, atque ab iisdem, quæ  
 exterius accedentia inserviunt, evolvi reperimus.

Principia sani-  
 tatis & morbo-  
 rum principia  
 sunt.

Pendet consistentia solidorum a numero molecularum  
 terrestrium solidum ingredientium, a glutine has jungente.  
 Glutine aquosis diluto, particularum nexus laxatur, & ni-

Principia mor-  
 borum ex soli-  
 dorum & flui-  
 dorum condi-



tione prædi  
sponetia di-  
sta.

mia inducitur mollities, aucta sub eodem volumine terrestrium copia, solidum condensatur, atque durius redditur, inde motui impresso vel iusto minus vel magis resistit. Ob partium integritatem fiunt vulnera, fracturæ, ulcera. Ob illarum situm, compositionem luxationes & procidentia. Ob mobilitatem ac tonum, spasmi, rigiditates, anchyloses. Verum & fluida haud pauca morborum stamina alunt recondita: ex diversæ indolis partibus cum consent, debitam miscelam ac proportionem exposcunt, facile propterea aut tenuiores aut spissiores aut acriores reddi poterunt. Quousque autem corpus nostrum principio animatur sentiente, in continua actione fluida ac solida sunt posita, unde hæc atteruntur, illa attenuantur, quæ cum patula undique inveniant foraminula, inde diffantur, quare ex se homo ad suum vergit interitum; hæcque ratio, cur tanta naturæ cura sit, ut solida continuo reparentur, fluidaque restituantur.

Corpus autem nutritum nimium, obesum, parcius nutritum macilentum fit: nimia boni humoris copia plethoram constituit, deficiens siccitatem, debilitatem, irritabilitatem nimiam inducit. Cumque præterea nutritioni, incrementum, statum adultum, senium, ac diversam illam diversorum hominum constitutionem debeamus, ex quibus ætatum, sexus, temperamentorum ac idiosyncrasiarum differentia provenit; quanta malorum seges inde imminet. Robusta solida, integra, bene efformata cum fluidis nec quantitate nec qualitate peccantibus optimam cum constitutionem efficiant, attamen sua secum ferunt incommoda: plethora enim ab illis non modo facillime nascitur, verum & morbi inflammatorii inde facilem habent fomitem, accedit, quod robusti raro valetudinem curent, hincque ex intemperantia facile pereant. Et quid de gracilibus, teneris, delicatulis dicamus? quorum vita fere continua est infirmitas?

Principia mor-  
horum prædi-

Nec leviora malorum semina ex sentiente germinant principio; cum enim mirabilis principium inter illud  
cor-



corpusque stabilita est harmonia, per quam quælibet in corpore succedens mutatio ad illud refertur, hoc autem in omnes totius corporis partes agit, ex harmonia illa sensibilitas & irritabilitas vitalis oriuntur, quæ licet summa sanitatis præsidia, atrocissimorum tamen malorum fontem simul suppeditant, cum deliria, dolores, febres, inflammationes, evacuationes morbosæ, spasmi, ac alia quamplurima inde fiant mala.

Spontanea ex  
sentiente prin-  
cipio.

Præterquam autem quod tanta malorum semina intus in nobis recondita sint, plurima, quæ nocere possunt, exterius accedunt; plurima ex necessariis maxime actionibus mala nobis imminet. Inter illa, quæ exterius accedunt, & quæ quod nostra inde conservatio pendeat, vitari haud possunt, aërem, cibum & potum numeramus.

Principia pro-  
catartica mor-  
borum externa  
& interna,

Aër humiditate & siccitate, calore & frigore, levitate & gravitate, nocivarum admixtione particularum potest offendere. Humiditate laxantur solida, humidi inspiratio augetur. Siccitate solida stringuntur, transpiratio augetur, sanguis spissior & acrior simul redditur. Solida calore expanduntur, fluida rarescunt, sudor excitatur, lentius moti humores putrescunt. Frigore stringuntur solida, perspiratio cohibetur, cutis crispatur, fluida in extremis artubus in glaciem mutantur. A particulis autem nocivis contagia illa generantur, quæ morbos producant epidemicos, integræ a quibus regiones sæpius devastantur. Quæ mala sulphuris & carbonum effluvia aëri admixta ferant, tristis indies observatio docet.

Principia mor-  
borum exte-  
rius acceden-  
tia.

Cibus quantitate & qualitate noxius esse potest: cibus quantitate nimia ventriculum molestat, flatus, ructus, vomitus, diarrhæas, cartialgias, ac dolores colicos gignit. Ex defectu cibi morsus ventriculi, fames, macies, febris, fitis atrox, sphacelus internorum & deliria proveniunt. Nec minus diversa a ciborum qualitate mala producuntur. Alimenta ex horæis saburram acescentem, victus



animalis putridam suppeditat. Aromata acrioribus particulis nervos offendunt, exsiccant, atrabiliariam sanguini dispositionem inferunt; inde macies, artuum tremores, affectiones hypochondriacæ, hystericæ, sitis atque febris lenta. Salia nimium ingesta solvunt sanguinem, minima arrodunt vascula, unde affectiones variæ, ulcera rebellia, scorbutus muriaticus. Alimenta viscida, glutinosa, tenacia, nauseam, anorexiam, flatum, borborygmos procreant. Pingua cum rancida facile fiant, ardorem ventriculi oris amaritiem, sitim excitant. Hæcque diuturniore usu cum humores inquinaverint & his visciditatem conciliant, illosque varia inquinant acrimonia, sicque lentæ ast pessimæ obstructions oriuntur.

Potus vel aquosus vel fermentatus est. Nimia fermentatorum potatio plethoram inducit, hæmorrhagias diversas excitat, stuporem, ac temulentiam inducit, queis universum nervorum systema debilitatur. Spirituosa copiosius hausta exsiccant, sanguinem coagulant, solida reddunt rigida. Aqua nimium hausta ventriculum gravat, sanguinem nimium diluit, vias urinarias debilitat. Frigida calenti corpori applicata, stringit vascula, densat sanguinem, valida naturæ conamina suscitatur, hinc febres ardentes, peripneumoniam, pleuritites. Cum corrupta & impura fuerit, noxias sanguini impuritates miscet, hinc pro impuritatibus varietate varia mala. Refertæ terreis aquæ, scrophulos, viscerum obstructions, nephritites, calculos procreant: Prutridæ, corruptæ, febres castrenses, diarrhæas, dysenterias suscitant.

Et vestimenta, quibus carere non possumus, quod corpus ab aëris defendunt injuriis, non pauca nobis inferre mala possunt. Cum enim angustiora mollioribus apprimuntur partibus, cingulis vinculisque firmata, collum, pectus, lumbos, crura stringunt, vi quadam mechanica in nos agunt, qua in junioribus forma lædi, in adultis autem stases, stupores, immobilitas, dolores produci poterunt:



terunt: cumque præterea immediatum aëris contactum arcendo perspirationem juvent, leviora autem vestimenta ab aëris inclementia minus defendant, variæ hinc turbæ oriuntur. His, si illorum, quæ mechanica quadam vi nos lædere possunt, noxas annumeremus, non crebros morborum insultus, sed integritatem potius nostram mirabimur.

Actiones ab homine producendæ illique necessariæ, a voluntate quædam, ab instinctu aliæ reguntur. Corporis exercitium & otium libera sunt; summa sanitatis præsidia ex justo illorum moderamine petuntur: horum si debita fuerit, ac conveniens alternatio, nec plus consumetur virium, quam victu ac somno restitutum fuerit. Ast in eo haud parum difficultatis est, divites enim & artifices sedentarii otio, ut plebeji operarii ut plurimum laboribus excedunt. Otio circuitus humorum retardatur, unde fiunt congestiones humorum, excretionum retentio, sanguinis viscositas, solidorum laxitas, atque si parum interrupta sessione situs constanter in anteriora pronus servatur & prompta ab incessu lassitudo, & curvatura & gibositas fiunt. Caput litteratis afficitur, artificesque, qui minutissima opera diutius conspiciunt, oculorum affectibus obnoxii sunt. Labor nimius sudores movet, exhaust, exsiccat, musculosque reddit rigidos; unde tremores artuum, debilitas, calli, atque illæ præprimis partes, quibus labor perficitur, præ reliquis afficiuntur ac atteruntur, atque diversis premuntur incommodis.

Instinctu excretiones, somnus & vigiliæ, conatus naturæ & animi pathemata reguntur, neque pauca hæc nobis mala excitare valent. Excretiones auctæ vel imminutæ nimium, semper funestos edunt effectus. Auctæ liquidissimum e corpore educunt, emaciant, vires consumunt, unde humorum resolutio, tabes, febris lenta, viscerum destructio. Nec minus imminutæ offendunt; imminuta perspiratio aquosi proportionem auget, noxium in humoribus relinquit, unde lassitudines, oppressiones pectoris, tusses, corizæ, febres, aliaque mala. Retenta

Principia pro-  
catartica ex  
actionibus.



urina stranguriam, dolores colicos, inflammationes vesicæ, sphacelum producit. Fæces retentæ flatus, tensiones abdominis, anxietates, molimina hæmorrhoidalia aliaque plura mala inferunt. Neque leviora mala a somno & vigiliis metuenda. A somno sanguine in caput congesto, cerebrum premitur, unde a protractiore, memoria, ingenium, atque reliquæ functiones animales torpent, obesitas inducitur, & otii incommoda veniunt. A vigiliis continuatis consumitur liquidum nerveum, conveniens amissi reparatio fieri nequit, quorum defectu omnes functiones naturales, imo & vitales lanquent, & turbantur. Et licet appetitus ille & averfatio naturalis, quæ ad bonum, nobis intellectu cognitum, comparandum vel malum removendum nos incitant, atque instinctus optimum in finem a natura nobis indita sint, at tamen haud raro fiunt eventu funesta; sic conatus illi naturales, qui a stimulo vel obice excitantur, quod stimulus obtundi, obex removeri nequeat, infausto finiuntur successu, hinc saluberrima toties conamina, queis natura coctionem, atque evacuationem criticam molitur, infausta sæpius, & morte terminantur. Pathemata vehementiora, diuturniora, quod ex harmonia necessaria cerebrum, cor, vasa majora & musculos inter & imaginationem arctissimum intercedit commercium, multis sanitatem modis lædunt. Gaudio improviso vehementiore larga perspiratio, insomnia, virium dejectio, & mors apoplectica fiunt. Amor vehemens haud absimilia excitat, si rem amatam aut amittendi, aut non obtinendi metus intercedat, chlorosis, anorexia, tabes, melancholia, succedunt. Terror præ reliquis vehementissime nervorum systema aggreditur, vascula stringit minima, quo humores in majoribus congeruntur vasis: unde stupor, insania, insultus spasmotici, angor, cordis palpitatio, abortus, febres malignæ. Mœrore nervi atque muscoli laxantur, circulatio lentior fit: unde viscidum in humoribus, viscerum obstructions, nutritio impedita, hydrops. Ab ira cor & vasa majora vehementer agitantur,



tur, liquidum nerveum copiose ad omnes determinatur musculos, callet corpus, distenduntur vasa majora, sanguis in capite congeritur, bilis secretio mire augetur: hinc furor, digestionis turbæ, vomitus, subitanea humorum corruptela, febres inflammatoriæ, biliosæ. Odium cum vires vitales prosteruat, & functiones turbet naturales, artuum torporem, cephalalgiam, agrypniam, maciem, pallorem, & cachexiam inducit \*. Quodsi nunc

*Haftenus relata & Gaubii & Sauvagii auctoritate nuntur, vide illorum patholog.*

tot principia malorum nobis infixæ hæreant, quodsi tot infirmitatum causæ extus nos obsideant, nonne cum Gaubio intutam illius sanitatem dicamus, cui non cavetur, ne succrescant semina aut nata sese explicent. Unde prophylaxeos necessitas quam maxime apparet. Verum juxta nos sentiens principium sanitati invigilare, neque peregrino propterea auxilio opus esse inquiet aliquis. Si homo naturam sequeretur ducem atque posthabitis mollioris vitæ illecebris modico eoque duro contentus victu, corpus sufficienter firmaret, paucissimis nostram valetudinem malis fore obnoxiam mihi extra dubium videtur: Valida corporis compages, interveniente principio sentiente, leviores facile noxas averteret, quot autem inter milenos, qui hancce viam ingrediuntur, numeres? & nonne ipse appetitus talia quandoque cupit, quæ sanitati quam maxime contraria sunt, helluo cibi ac potus modum nescit: Cæco propulsus impetu juvenis ferreum sibi corpus existimat, exercitato corpore sudore diffluens, arido ore frigidum appetit: Mollis ac delicata virgo, nisi concentus musici invitent, omne corporis exercitium reformidat. Quæ itaque conservandæ inserviunt sanitati intellectu dirigantur.

*Sentiens principium consilia prophylactica non inutilia reddit.*

Cum in debito, rerum sex non naturalium pathologis dictarum, usu sanitas diversimode lædi possit, si convenienter illa adhibeantur, quod sanitati optime prospiciatur, nemo adversabitur. Ast cum & auxiliis pharmaceuticis & chirurgicis principia averti possint, quæ vel ad morbos disponunt, vel illos excitant, quod & horum ope sani-

*Qui fontes prophylaxeos.*





Habet sanitas  
latitudinem.

Claudii, Gale-  
ni de sanitate  
tuenda. Lib. I.  
pag. 154. Tho-  
ma Linacro in-  
terprete,

sanitas sit tuenda, necessario erit concedendum. Nemo autem principia morborum pro morbis habeat: nos ea solummodo in corpore humano vitia pro morbis habemus, quæ sensibilem functionibus læsionem inferunt, siquidem cum GALENO\* affirmandum existimamus, sanitatem non esse insectilem, verum etiam illam, quæ parum deficit, modo tamen usibus nostris adhuc non sit inepta, sanitatem esse dicendam, quippe sanitatem (sunt hæc Auctoris verba) omnes requirimus, dum ad vitæ functiones, quas plane morbi impediunt, atque auferunt; dum vero, ut molestia careamus. Angimur enim doloribus non leviter. Eam vero constitutionem, in qua nec doloribus cruciamur, nec in vitæ actionibus impedimur, sanitatem appellamus &c. Cum longe melius existimem satis amplam latitudinem sanitati tribuere, quam omnes homines perpetuo urgentibus morbis premi. Nam etsi in nobis omnium morborum semina dicant, tamen fatentur ipsi, ea tam esse parva, ut sensum nostrum omnino effugiant: non enim functionum imbecillitas morbi statim nota est; sic enim arbitror, excuset dicatque merito, quod omnibus hominibus dici assolet, nempe hoc prius fecisse, nunc idem facere non posse: hunc enim morbo aliquo teneri dicemus; siquidem senectutis vitio imbecillitas ea non incidit, omnis equidem morbus præter naturam est, hi se præter naturam plane non habent, sicuti nec senes.

Vsectio præfer-  
vatoria ad sa-  
nitatem con-  
ducit.

Inter remedia chirurgica, quibus sanitas tueri potest, Vsectio a plurimis merito commendatur, etenim illa haud pauca morborum principia avertit. Quot enim morbi exaucta humorum copia, ex viscidioribus humoribus, ex se & excretionibus tardius succedentibus, ex sanguine ad diversa loca congesta, ex fibra rigidiore nimium irritabili proveniunt, quæ cuncta etiam citra notabilem functionum læsionem aliquamdiu in nobis existere possunt, cum tamen hæc Vsectione corrigi possint, hanc inter remedia prophylactica esse admittendam nobis videtur. Nos, cum principia in corpore lateant, quæ necdum sensibili-



sibiliter functiones turbant, dum corriguntur, aut ne nocent, cavetur, prophylaxin dicimus; Ut autem Vsectio- nis usus mere prophylacticus melius pateat, quibus prophylactica potissimum adhiberi debeat, jam specialius per- lustrabimus.

Debita humores inter & solida, ut sanitas diu subsistat, proportio requiritur, quodsi vis solidorum in fluida au- geatur, aut si resistantia fluidorum crescat, ex utroque vitia in fluidis nascuntur, quæ, cum solida a fluidis subsi- stunt, hæc quoque alterant. Prima itaque malorum fun- damenta ponuntur, cum moles fluidorum augetur, eoque graviora magis, quo lentius liquidorum copia congeritur, quippe subitaneum humorum incrementum molesto mox naturam sensu monet, quæ suæ conservationi sollicita, ut superfluum eliminetur, omnia movet, dum lente succe- dens augmentum, quod insensibiliter contingit, inscia sit natura, quæ propterea a mole suppressa non absque ma- ximo conatu se vindicare a periculo valet: Nec mirum si tum vel ob nimiam resistantiam conatus fuerit insuffi- ciens, aut ob nimiam vim sibi ipsi perniciosus.

Moles autem liquidorum augetur, si plus sanguinis elaboratur, quam viribus reparandis impenditur. Ali- menta chylum, chylus sanguinem suppeditat, erit itaque sanguis in ratione alimentorum, si bona fuerit digestio. Exercitio vires consumuntur, igitur quo minus corpus exercetur, eo minus virium amittitur; ergo in valenti- bus, lauda assumendo alimenta, atque otio indulgendo, mo- les humorum augetur, quæ uberimum malorum fontem suppeditat: atque huc fere omnes, qui melioris conditio- nis, referas; cum enim bono ut plurimum gaudeant appeti- tu, quem exquisitis ac delicatioribus ferculis magis exci- tant, nunquam non nimium assumunt alimenti, quod, cum sæpissime & sub parva mole valde nutriens sit, eo plus chyli suppeditat, qui ad sanguinem delatus illius co- piam auget. Accedit præterea, quod vino ut plurimum generoso utentes, stimulo quodam naturam ad digerendum

Præservatoria  
Vsectio vege-  
tis, otiosis  
mollem vitam  
agentibus ad-  
hibeatur.



& sanguinem elaborandum excitent, quo stimulo actio vasorum in sanguinem, hinc attritus intenditur, calor naturalis crescit, & volumen humorum augetur. Et quot inter hujus conditionis homines, quæso, reperies, qui, quod nimium assumsere alimenti exercitio consumant? Ædibus inclusi peractis epulis, vel somno indulgent, vel sedili infedendo insipita tempus lectura terunt, dum vesper accedat, quo carthis vel spectaculis, donec ad novas sollicitentur epulas, animus distrahatur: pars, seriis occupata negotiis, mentem præ corpore exercet: Pars studiis animi vires infringit, & siqui fors brevem instituant deambulationem, hæc humorum præparationem juvat potius, quam quod inde imminuantur. Quod hacce ratione bonorum copia humorum, in vigore ætatis constitutis, augeatur, antiquorum æque ac recentiorum constans est opinio; hoc enim jam HIPPOCRATI \* cognitum erat, *mala (inquit) est Diæta, cum quis plures siccis aut liquidos cibos ingerit, quam ipsum corpus ferre queat, neque laborem aliquem ciborum saltem multitudini parem adjungit. Et optime apud CELSUM cum de causis, quæ implent corpus, agit, hæcce veterum sententia apparet: implet autem corpus (sic ille) modica exercitatio, frequentior quies, somnus plenus, molle cubile, animi securitas, assumpta per cibos & potiones maxime dulcia & pingua, frequentior cibus & quantum plenissime potest digerere.* Inter recentiores BOERHAAVIUM allegasse sufficiat, ille enim, ubi de plethora tractat, quam copiam boni sanguinis dicit, inter illius causas ea refert, quæ multum laudabilis chyli & sanguinis conficiunt, simulque horum attenuationem, consumptionem & perspirationem impediunt, quo, juxta illum, inter cætera spectant cibi blandi facile in chylum resolventi, somnus multus, animus sedatus, quies musculosa.

Quod si nunc ea ratione sanguinis copia augeatur, reliquorum quoque humorum proportio crescat necesse est, inde numerosissima sane pro constitutionum differentia provenient mala. Robustiores pingues fient, & sic debilitabuntur; debi-

Hippocrat. Coi  
opera omnia  
interprete Jo-  
anne Marinelli  
Lib. de flatu-  
bus §. 9.

Aurel. Cornel.  
Celsi de medi-  
cina Lib. 8. stu-  
dio ab Alme-  
loven pag. 28.

Avois: de co-  
gnoscendis &  
curandis mor-  
bis ab H. Boer-  
haav. α β γ.  
pag. 25.

Mala ex humo-  
rum abundan-  
tia,



debiliores autem affectibus hæmorrhoidalibus, hypochondriacis, hysteriis, calculis, doloribus arthriticis, obstructionibus viscerum, delicatiores hæmorrhagiis fient obnoxii: verum si ex vita molliore humorum augeatur moles, si nimia humorum moles tot mala generare possit, nonne eam imminuere, atque quantum fieri poterit, ad debitam reducere proportionem conveniet? pluribus quidem modis humores imminui possunt, vix autem & commodius & salutaris, dum sanguis abundat, quam Vsectione fieri poterit.

Emeticis quis succi plena corpora turgentibus vasis concutere audeat? atque his solus evacuatur stomachus, ex quo cum parum humoris educatur, hæc minime sanguini imminuendo sufficient.

Contra sanguinis abundantiam non bene emetica adhibentur,

Potentius quidem cathartica educunt, verum stimulo, quem intestinis inferunt, actione peracta semper debilitant, quo infirmato ventriculi & intestinorum tono digestio læditur, & molestæ alvi obstipationes inducuntur, humidissimum quoque, quod diluendo sanguinem illius circulum expedit, hacce via educitur.

Neque cathartica,

Neque, dum humores per poros in vapores resoluti expelluntur, melius hic ferri levamen posse videtur. Quippe si acrioribus & spirituosius hoc instituat, cum liquidissimum ea ratione deperditur, acri humores corruptela inficiuntur: Si autem aquoso potu & stragulorum calore sudor eliciatur, qui humoribus imminuendis conveniet? cum aqueum, quod potu ingestum erat, solummodo diffletur. Præterea adeo tenera in illis, qui sudoribus assuescunt, fit constitutio, ut ex qualibet leviori aëris inclementia perspiratio turbetur, unde numerosissimis infirmitatibus obnoxii fiunt.

Neque Diaphoresis.

Igitur si tot incommodis evacuationes hæc hactenus dictæ stentur, dum generalis humorum imminutio indicatur, cur Vsectionem non commendemus? ea enim ratione, sanguine educto tota humorum moles facile imminuitur, vasa liberiora fiunt, vis respectiva cordis augetur, queis illud

Commoda Vsectionis in sanguinis abundantia,



illud principium, quod indubie sanitati invigilat, ut debita humorum proportio restitatur, cuncta tentabit. Sic convenienter instituta Vsectione, modo circa vesperum leviores febris insultus, modo sudores nocturnos, modo copiosorem urinam optimo cum eventu toties observare, familiare est, manifestissimo argumento sublevatam Vsectione naturam jam sufficere, ut superfluos e corpore humores eliminet.

Sanguis superfluus ab ipsa natura evacuetur, quæ imitanda,

Atque cum ipsa natura superfluum sanguinem per hæmorrhagias evacuat toties, aut evacuare conetur, cur ars naturam non imitetur? periodicum in fœminis existit exemplum; juniorum succi plenorum hæmorrhagiæ naturæ, hæmopteses, nonne summam naturæ, ut a superfluo se liberet sanguine, sollicitudinem ostendit? denique fluxus & molimina hæmorrhoidum, indies sine viscerum abdominalium obstructionibus repariunda, indubie convincunt, naturam, cum sanguinis offendatur copia, semper illius diminutionem intendere. Quis autem, quod molitur natura, dum ars imitatur, reprehendat?

Vsectio præservatoria non debilitat.

Neque corporis vigorem Vsectione imminui metendum; quippe vigor in illa vi consistit, qua principium sentiens cordis & vasorum ope in fluida bonæ notæ agit, illa autem vasorum actio a robore illorum physico, elaterio, libero influxu liquidi nervei, integritate, permeabilitate dependet, quæ dum cuncta rite instituta Vsectione non turbantur, illam non debilitare apertum est. Robur enim physicum a numero fibrarum, quæ solidum componunt, ab illarumque cohæsiōne dependet; numerum fibrarum Vsectio non imminuit, atque tantum abest, ut particularum cohæsiōnem solvat, ut illam potius augere videatur; nam si ex physicis, particulas solidi eo fortius cohærere notum sit, quo propius & in pluribus punctis se contingunt, cum immixta humorum mole continentes eadem ratione partes, partim vi vitali, partim elastica se contrahant, earum particulas propius se attingere, hinc fortius cohærere sequitur. Neque parum ad firmitatem  
gluten



gluten conferre, ex physiologia innotescit; hoc sane diluto magis, & particulis copiosius interposito, solida flexiliora, ac molliora fieri debere videntur: Cum itaque Vsectione omnis humorum moles minuatur, quod & aquosum & glutinosum inde parcius fiat, necessum est; Ex quo gluten & viscidius factum, & calore naturali paulisper exsiccatum solidorum fibras quam firmissime compingit. Neque vasorum elaterium Vsectione infringitur, cum enim Vsectione vasa depleantur, a nimia distensione, quæ semper humorum copiam respondet, liberantur; Notum autem nimia tensione elaterium aboleri, quod propterea, tensione imminuta, per missionem sanguinis restituetur. Influxus autem liquidi spirituosi ad vasorum & reliquorum solidorum nervos ex hacce Vsectione promovetur; Equidem ille ab ipsa hujus liquidi copia pendet, quæ illius secretioni respondet, cumque autem, depletis majoribus vasis, minora ab onere prementis liquidi liberentur, suisque functionibus melius defungi queant, restituta debita ac naturali circulationis lege, & secretiones in illis peragendæ promovebuntur. Atque ex hac quoque causa, cum cuncta vasa liberiora fiant, cuncta quoque magis permeabilia existent. Quodsi nunc quamlibet vim eo facilius datam superare resistantiam perpendamus, quo illa minus resistit, quodsi ejusdem liquidi resistantia sub iisdem circumstantiis, ut illius copia se habeat, nonne dum sanguis imminuitur, illum vasis minus resistere, ac proinde illorum vim seu robur ad liquida respective augeri inferamus? atque cum ex hocce solidorum in fluida præpondio illorum actio intendatur, hæc ipsa melius elaborantur, perfectiora fiunt, Vsectione sanitati ac proin viribus quam maxime prospicitur. Itaque Vsectionem præservatoriam non modo non debilitare, sed vires ab illa intendi potius apparet. Atque hinc quoque illam ex eo esse inutilem, quod sanguis e vena detractus brevi restituetur, sponte ruit; cum enim quod sanguis præter modum augeatur, jam debilis naturæ vitium sit, quæ superfluum e corpore eliminare

Superfluum sanguis e vena ductus non tam cito regeneratur.



haud valet, ex eo quod vigor solidorum Vsectione augeatur, non adeo celeriter humorum copia accumulari poterit.

Neque Vsectio  
præservatoria  
plethoræ cau-  
sa.

Qui itaque consuetudinem tam naturalem quam artificialem mittendi sanguinem, nisi modum excedat, causam abundantia sanguinis existimant, quod sanguine misso nova illum mittendi necessitatem percipiant, hi causæ fallacia seducuntur. Neque enim conveniens sanguinis missio ad plenitudinem disponit, quæ vires respectivas augendo illi contraria est, neque illam ullo excitare modo posse videtur. Frustra itaque GALENI auctoritate pugnatur, quæ de immoderata sanguinis missione intelligatur. Frustra hic DODARTI observatio opponitur, quæ sane immodicam sanguinis detractionem parum profuisse ostendit. Neque illustris SWIETENII observatio de fæmina Vsectionibus obesa primum, tum cachectica reddita, aliud, quam noxas ex nimia sanguinis deperditione evincit, quam sanus profecto Medicus nunquam probabit. Quod viri sanguinis missionibus assuefacti, eadem, dum tempus accedit solitum, ac fæminæ patiantur, atque fæmineam habere constitutionem videantur, non negamus, quod autem illa constitutio a sanguinis modica missione producat, concedere non possumus: Quippe mollis hæc ac delicata constitutio est, antequam ullam passi sunt evacuationem sanguineam, atque easdem evacuationes, dummodo causæ excitantes removeantur, optime ad corporis constitutionem illam immutandam conducere, omnesque alias rationes, post habita Vsectione, esse noxias ex SWIETENIO \* evincere licet. Quidam HELMONTIUM secuti in primis (inquit) damnabant sanguinis missionem tanquam inutilem & crudelem: credebant abstinentia a cibo & potu plus minui posse nimiam copiam, cum per insensibilem perspirationem & alias excretiones, quotidie plures libræ humorum expellantur e corpore, quod totum cibo & potu iterum restituitur: Hinc cum pergerent naturales hæc excretiones liquida minuire, nec ingesta iterum redderent deperdita, magis minuatur copia liquidorum abstinentia a cibo & potu  
per

\* Confer Commentar. Swieten. Tom. I. §. 106.



*per 24. horas, quam vel audacissima Vsectione fieri posset. Sed hac methodo subtilissimi tantum de corpore diffiantur humores, ruber crassus sanguis majora vasa distendens vix minuitur, quod inprimis requirebatur, & omnes humores acriores fiunt, dum nihil chyli miscetur.*

Neque tamen, quod sanguis præservatoria Vsectione imminutus, denuo præter modum nunquam augeri possit, contendimus; quousque plethoræ tam in quam externa manent principia, utcunque sanguis evacuetur, is tamen semper recrudescet. Verum cum naturalis quædam infirmitas corporis corrigi nequeat; anne propterea, si illius mali effectus præcaveri possint, horum nulla habeatur ratio? ad plethoram curandam solam Vsectionem non commendamus, siquidem omnia plethoræ principia non removet: verum cum ex corporis constitutione & vitæ regimine plethora inducatur, quod Vsectione nimium sanguinis augmentum impediri, ille ad debitam reduci proportionem & ea ratione graves averti noxæ possint, audacter experientia ducti affirmamus, ideoque Vsectionem inter potentiora ponere prophylactica non dubitamus. Verum faties (inquiet quis) ipsa curatur plethora; & nos salutari huic consilio, dummodo, qui cuncta morborum principia eradicare vellet, non ipsum eradicaret hominem, lubenter subscriberemus. Naturalem illam ad plethoram corrigas dispositionem, jam malis ex bonorum abundantia humorum haud quis erit obnoxius, nonne autem mutata hac corporis conditione, quam omnes authores pro optima habent, athleticamque propterea dicunt, aliorum pejorumque fomes malorum suppeditetur. Infirmitatum ergo mutationem, officiosa perfecisses medela. Ast an adeo facile congenitam homini dispositionem mutari existimas? an unquam sine majori noxa, quibus vegetæ digestionis vires, dum plus, quam reparandis indigent viribus, alimenti assumunt, ne humorum abundantiam acquirant, impedire poteris? ne itaque illa humorum copia offendat, si feceris, munere tuo defunctus es: abstinentiam;

*vsectio sola  
plethoram non  
curat.*





tiam, cibum durum, corporis exercitium suades; dummodo omnes pro tuenda valetudine Medici consilium exposcerent, dummodo qui exposcerent, & obsequiosi quoque essent, dummodo adeo facile hisce obsequium præceptis præstaretur, hæc ego quoque consulerem. Quare cum facillimo levissimoque modo moderata Vsectione nimium sanguinis incrementum impendiatur, & noxæ ex illius copia averti possint, hanc a Medicis, summo cum sanitatis præsidio, adhiberi contendo.

Vsectio præservatoria auctoritate confirmatur.

Omni propterea tempore summi in arte viri Vsectionem salutare tanquam prophylacticum commendare non dubitarunt. Hæcce valetudinem tuendi ratio jam HIPPOCRATI cognita fuit; manifeste enim in Lib. I. aphorif. III. Vsectionem præservatoriam commendat, cum inquit: *Bene habita athletarum valetudo ad summum progressa, ubi ad plenitudinis extremum pervenerit, lubrica est, cum non possit eodem statu permanere, neque quiescere. Quandoquidem vero non quiescit, neque jam potest in melius progredi, reliquum est, ut indeterius labatur. His igitur de causis pleniorum illum corporis habitum haud cunctanter solvere expedit, &c.* cujus aphorismi sensum GORTERUS optime exponit, dum in dissertatione MICHAELIS ADOLPHI de solvendo bono corporis habitu secundum HIPPOCRATEM asserit: *Qui genio nimis indulgent & pancreaticè vivunt, corpora sua nimia alimentorum copia saginant, & tamen parum exercent, ut illa abundantia, motu corporis consumatur, quemadmodum athletæ; his expedit aliquando detrahere sanguinem, ut conservetur sanitas, quia bonorum humorum abundantia laborant.* Neque alia est GALENI de tuenda valetudine sententia. Plura quæ in tractatu de tuenda valetudine & aliis in locis passim occurrunt, mittamus, illa quæ in Lib. de curandi per sanguinis missionem ratione habet, allegasse sufficiat. Non solum (hæc sunt ejus verba) *cui jam adest morbus gravis, sanguinis detrahendi tempus est, sed ubi futurum verisimile.* Antevertit enim HIPPOCRATIS doctrina, qua nos docet, quæcunque mor-  
bis

Confer Q. S.  
pag. 536.



*bis presentibus recte peraguntur aut incipientibus, aut imminetibus prævertenda. Quare & propositos scopos ad sanos transferre liceat, siquidem & his sanguinem mittere expedit, ubi nimirum magni alicujus morbi metus imminet. Nam siquis, ut magnum incurrat morbum sit habilis, licet nullum etiam in corpore symptoma acciderit, venam tamen secundam censemus. Atque hæc doctrina uti ab antiquis sic a Medicis mediæ ævi, modernis ac recentioribus semper fuit observata. SCHOLA enim SALERNITANA de conservanda valetudine jam habet: ætatis mediæ multum de sanguine tolle. In quem versum ARNOLDUS NOVICOMENSIS regulas nonnullas ponendas existimat. Quarum prima est: phlebotomiam convenire hominibus delicatis otiosis & quietam vitam agentibus, & alimento multum sanguinem generando utentibus. Secunda, phlebotomiam convenire illis qui abundant sanguine. Hi itaque medici non morbos ex plethora ad Vsectionem requirebant, verum dummodo ex corporis constitutione atque vitæ regimine abundantiam intelligebant factam, illam utilem compertam habebant.*

Inter medicos autem mediæ ævi, qui hanc doctrinam sua autoritate ulterius firmarunt, BERNARDUM GORDONIUM, Gallum medicum sui temporis famosissimum, plurimisque scriptis clarum allegare liceat, scribit ille in tractatu de phlebotomia: *phlebotomia est multum juvativa in tempore sanitatis, potissime tamen in illis, qui parati sunt ruere ob multitudinem humorum, aut sanguinis abundantiam: quoniam cum humorum multitudo evacuata est, natura est magis potens supra residuum.* Similis doctrina apud GEORGIUM PICTORIUM ENSISEMII regis Curie superioris ALSATIÆ archiatrum legitur; cum enim in illius Dialogo polilogus quærat, *cur igitur non subscribitur opinioni GRYSIPI GNIDII, quem sanguifugum dixerunt, quod omnem Vsectionem ex medicinalium præsidiorum munere tollendam censeret?* per THEOPHRASTUM respondet, *quia si vite phlebotomia fiat, non solum*

Conf. de conservand. bon. valetud. opusc. Schol. Salernitan. Auct. per Joannem Curionem, & Jac. Crellium Parisiis, 1555. pag. 181.

Conf. Bernardi Gordonii Libellum med. una cum aliquod aliis ejus Libellis de phlebot. conservat. vitæ humanæ. &c. Lugdun. 1574.



Conf. tuenda  
sanitatis ratio-  
ne n. per sex re-  
rum non natu-  
ralium ordi-  
nem Auct. Ge-  
org. Pictorio  
Parisiis 1553.  
pag. 53.

Conf. Æmilii  
Dusi de tuenda  
valetud. Lib.  
ad Sereniff. Ca-  
rolum Ema-  
nuelem Du-  
cem Saubau-  
riæ Taurini  
1582. cap. 16.  
pag. 54.

Conf. de acti-  
va Med. scien-  
tia comment.  
duo Auctore  
Hieronymo  
Montno, Chri-  
stianiff. Gallia-  
rum Regis Me-  
dico. Lugduni  
1557. pag. 85.

Confer Ferne-  
lii de vacuandi  
ratione librum  
Lugdun. 1549.  
cap. I. pag. II.  
& cap. VI. pag.  
34.

in sanitatis conservatione, sed etiam ægritudinum curatio-  
ne novimus maxime necessariam. Sicut & RAHSES di-  
visionum libro scribit: in qua re ipsa natura se frequen-  
ter prodit, quæ dum sanguine gravata, nisi minutione suc-  
curratur, vel per fluxum sanguinis narium se exonerat, vel per  
hæmorrhoidum fluorem, aut per sputum cruentum, seu uri-  
nam sanguine mixtam. Similem sententiam ÆMILIUS  
DUSUS proponit in libro suo de tuenda valetudine. Con-  
fert autem (ait) sanguinis detractio plethoricis item san-  
guineis, hi siquidem plurimo exuberant sanguine; præterea  
& juvenibus seu ætate florentibus, & robustis, hi nimirum  
tale ac tantum evacuationis genus absque detrimento suffe-  
runt. Plenitudinem ergo timentes sanguinei, atque robore vi-  
tutissimo missionis ex vena sanguinis præsidio poterunt uti.  
Atque in hancce opinionem consentit quoque HIERO-  
NYMUS MONTUUS, in cujus tractatu de salubritatis  
tutela sic legitur: illa motionis species, quæ per pharma-  
cum fit, ad sanos non pertinere post PLATONEM fatetur  
ipsemet GALENUS; sed hæc, ut vera sint, de valentibus dicta  
esse oportet, qui inculpatum corporis habitum habent, quo-  
que sibi vivunt, & ante cibum corpus & animum exercendi,  
& cibi bene concoquendi curam habent, alioquin qui conve-  
nientem victus rationem non tenent, vel propter intemperan-  
tiam vel negotia vel eorum ignorationem, quæ fieri opus est,  
quantumvis sani & bene valentes, a morbis tuti esse non pos-  
sunt, nisi sanguine misso in tempore &c. Eadem quoque est  
JOANNIS FERNELII sententia. Postquam enim capite  
primo docuit: Hæc ipsa constitutio (scilicet plethora) ta-  
met si bonis humoribus referta est, & vires obtinet robustas,  
hoc tamen malum circumgerit, quod ad immodicam veniat  
repletionem, & proinde gravi sit obnoxia periculo. Capite  
sexto de Vsectione & purgatione subjungit: si igitur quis-  
piam sit bene temperatus, cui ex salimentis boni succi probe  
coctis venæ extra modum turgeant, periculum impendet, ne  
vel tumida inflataque vasa dehiscant, aut disrumpantur, unde  
inflam-



inflammationes & hæmorrhagiæ obtingere solent: vel oborta universalis quædam obstructio insitum calorem strangulet, restringatque vires alioquin valentissimas, unde febris ardentissima & repentina mors ingruit: ab his certe malis impendentibus neque medicamentum; neque inediæ prohibere possunt: At si secta vena plenitudo ad mediocritatem redeat, corpus gravi pondere levatum erigitur, & quasi recreatum alacrius expeditiusque fit ad functiones omnis generis obeundas; eadem insitum calorem ventilans, reseransque arctiores vias & spiracula corporis, morbos arcet, in quorum discrimen id adducebatur. Idem quoque JOANNES RIOLANUS statuit, postquam enim in pathologia sua, de causis agens, sanitatem nil tam incommodare, quam immodicum cibum & potum monuerat, plures gula occidi quam gladio, quod pauci sobrie & temperanter vivunt, asserendo: a repletionem habitus, qualis athletarum, & venæ usque adeo copia tenduntur, ut, nisi secta vena materia minuatur, immineat periculum, addit.

Conf. Joannis Riolani opera med. Parisiis 1619, in path. cap. IX, p. 252.

ITALOS & GALLOS MEDICOS ad nostræ sententiæ auctoritatem firmandam allegavimus, jam & quosdam germaniæ Medicos haud minus claros allegare liceat. Inter hos primum SENERTUM audiamus, ille in institutionum medicinalium Libro II. Part. II. Cap. IV. de plethora: ut autem de plethora in specie (inquit) aliquid dicamus, ad sanguinis abundantiam generandam plures causæ faciunt; quædam materiam suppeditant, quædam efficientes sunt, quædam sanguinem quasi genitum detinent & cumulant. Materiam suppeditat victus plenior, præcipue si alimenta boni succi & multi nutrimenti copiosius assumantur; ad causas efficientes pertinet constitutio corporis, ætas juvenilis, tempus vernum, & quævis aëris constitutio temperata. Sanguinem genitum cumulant otium, somnus moderatus, vita sine curis & exercitatione cum lætitiâ, &c. Cum itaque ea ratione docuerat, quomodo sanguis quantitate augeatur; Lib. V. Part. II. Sect. I. Cap. XVI. sic habet: qua propter communis, quæ hic sumitur indicatio, est, ut id quod abundat im-



Conf. Georg.  
Stahlii Theo-  
riam med. ve-  
ram pag. 708.

minuatur. Itaque si sanguis abundet imminuendus est, & qui abundat evacuandus, & tollendus. Sanguinem copia peccantem, quod attinet, etsi & aliis modis imminui possit, generosum tamen ad illum imminuendum remedium esse Vsectionem, nemo, credo, est, qui neget. Neque STAHLII doctrina, utut Vsectionis osor videri possit, hic averfatur; postquam enim in doctrinæ medicæ Theoreticæ Part. I. Sect. I. membro 8. abundantiam boni sanguinis fieri posse probavit, atque hanc ulterius confirmavit subjungendo: quemadmodum itaque in hac materia natura tam prompte atque solícite suscipiat agere, quod nonnisi in remotos usus, necessitatem autem plane nullam vergat; ita tanto minus mirum aut dubio solido propinquum æstimari potest, quod eadem natura etiam tanto magis sanguinem, cujus perpetuorum summorum usum utique amantissima esse debet, pari cum indulgentia, imo verius luxuria coacervet. Accedit autem huic coacervationis velut a priori intentioni, etiam familiaris ille defectus a posteriori, dum inter plenum & optimum victum & reliquam vegetam & alacrem sanitatis præsentiam, imo & efficaciam, adeo largiorem sanguinis proventum otiosa nimium desidia, consumptioni ejus a posteriori non satisfaciendo, hanc ejus retentoriam coacervationem ita fovet & auget. Atque in pathologiæ Part. II. Sect. IV. membro I. materialem causam varios præter naturam effectus inducentem, sanguinis abundantiam dixerit, inter quos & infarctus & oppletiones, stases ab oppletiva stipatione, dolores a distensione, quin tonicis motus varios irritationibus tensivis & oppletivis convenientes atque resistere paratos affirmaverat, in praxi sua Sect. I. membro I. §. II. Vsectionem tanquam præstantissimum auxilium commendare non dubitavit. Das (Consilium diæteticum inquit) daß einer wenig esse und tapfer arbeite, ist zwar ein herrliches Mittel, allein die wenigste wollen diesen Rath sich gefallen lassen, weil die mehreste des Müßiggangs und comoden Lebens gewohnt sind, weil nun Medicamenta pharmaceutica auch nicht vermögend sind, und durch eine hæmorrhagiam die pletho-

Conf. praxin  
Stahlianam a  
Joanne Stor-  
gen congestam  
Lipsiæ 1732.



thoram zu vermindern nicht sicher ist, so muß man durch chirurgische Mittel zu Hülfe kommen, durch Abzapfen das Geblüt vermindern und das Corpus erleichtern, und wie insgemein die plethora nur als eine causa occasionalis oder antecedens zu betrachten, also ist es auch besser, wenn man deren Verminderung bey gelegener Zeit nur præservative, als erstlich im Nothfall vornimmt. Atque eandem opinionem in sententiis a STAHLIO ceteroquin diversissimus FRID. HOFFMANNUS alit. Adeo magni viri, dum de praxi agitur, quam experientia comprobat, inter se congruunt. Ita enim Cap. VII. de remediis ad sanitatem tuendam Conf. Q. S.  
 §. V. habet: *quia nimia ex cibo ac potu repletio plethoræ & cacochymia fecundissimis morborum procreatricibus plurimum favet, necesse est, ut medicus promovendis superflui sanguinis & humorum evacuationibus invigilet, quas inter Vsetio primum locum tenet & præsentaneum auxilium constituit.* Nec alia, magnus BOERHAAVIUS & cl. illius commentator SWIETENIUS quam Medici hæctenus allegati, proposuerunt. Cum plethoram esse copiam boni sanguinis majorem, quam quæ ferre possit eas mutationes, quæ vitæ inevitabiles accidunt, nisi inducantur morbi, in suis aphorismis BOERHAAVIUS affirmet, ita in illum passum SWIETENIUS commentatur: *sanguinis boni abundantia* Conf. Q. S.  
*vocatur plethora, hinc ex se nusquam est morbus; supponit enim boni humoris auctam copiam, omnia autem reliqua se bene habere. Ideo HELMONTIUS credidit plethoram male inter morbos censeri, volens illud, quod bonum est, copia peccare non posse. Sed plethoricus homo dicitur: non qui jam ægrotat, sed qui tali in statu plenitudinis est, ut si ulterius augeatur copia humorum, vel calore aut alia quacunque de causa plus rarefiant humores, ledantur functiones. Hinc plethoricus homo potest esse sanus, sed in maximo vitæ discrimine versatur: quibus dein cum curationem missu sanguinis absolvi juberet BOERHAAVIUS, commentator addidit: nimia boni sanguinis copia erat causa omnium malorum enumeratorum, omne ergo quod hanc copiam minuit, prode-*  
D 3 rit.



rit. Sed omnium optime copia minuitur misso sanguine, & statim inde oritur levamen omnium symptomatum. Nunquam rectius medicina curat, quam ubi naturæ vires, quibus morbos levat, imitatur: Sed videmus & in sanitate & in morbis nimiam plenitudinem a sanguinis copia majori, vel & rarefactione nimia ortam, salutari hæmorrhagia tam feliciter tolli, hinc in junioribus perfecte valentibus, illo ætatis tempore, quo incipiunt vasa jam fortiora reddita plus resistere liquidis distendentibus, tam frequens salutaris hæc evacuatio est, imprimis increfcente verno calore.

Cum bonorum itaque humorum, quæ graves profecto morbos minatur, abundantiam & in sanis fieri, huicque per sanguinis missionem optime occurri posse, ratione & autoritate probaverimus, quidni Vsectionem prophylacticam prædicemus? Neque sane alio nomine remedium sanitati tuendæ idoneum insigniendum videtur; usu siquidem invaluit, ut, cum illa Medicinæ pars; quæ sanitatem servandam, Hygiene, altera, quæ morbos levandos docet, Therapia dicitur; ea ratio, qua sanitas tuetur, prophylactica, illa autem, qua morbi curantur, curatoria nominetur.

Summum jam atque necessarium Vsectionis in sanis quoque usum nobis probasse videtur, ut de signis, quæ illam indicent, de tempore hujus administrationi favente, de sanguinis educendi quantitate quædam disputemus, adhuc restat. Cum signum \* nobis id dicatur, ex quo alterius præsentia cognoscitur, nobis causæ abundantia sanguinis, optima præbere posse signa videntur. Causæ prædisponentes atque procatharticæ causam immediatam sistunt, quare merito bona digestio, laudus & valde nutriens victus, vita otiosa, subitanea evacuationum sanguinis suppressio, ætas præprimis juvenilis florida, ad signa abundantia humorum laudabilium referuntur. Verum cum non minus ex effectu causa immediata appareat, nos illa phænomena, quæ in sanis ex copiosiore sanguine eveniunt, æstimanda quoque autumnamus. Quare rectissime SWIETENIUS statuit:

Vsectio ad tuentiam sanitatem non curatoria sed prophylactica dicenda.

De signis quæ Vsectionem in sanis indicant.  
\* Conf. Sauvages patholog. method. de signis.

Conf. Q. S. Vsectio neget. otiosis &c.

Conf. Q. S. pag. 157.



statuit: *Plethora præsens cognoscitur, si prægressæ sint causæ illæ, quæ nimiam sanguinis boni copiam generant, si magna rubedo adsit in toto corpore, maxime conspicua in illis locis, in quibus vasa nulla cute tecta apparent nuda, si magnus calor ad extrema corporis usque inveniatur, si venæ inflatæ sint, una cum pulsu forti, pleno; si a motu majore, aëris calore, aceto, vino, vel aliis quibuscunque calefacientibus assumptis sentient in omnibus musculis corporis mollem, plenum, distendentem tumorem, una cum immobilitate quadam.* His somnum inquietum, respirationem ad corporis exercitium molestam, puncturæ sensum in corporis parum calefacti superficie. Ex STAHLIO addimus, quæ omnia, cum delicatioribus illis, mollioris conditionis hominibus præ reliquis frequentia sint, apud illos præservatoriam sanguinis diminutionem non absque periculo negligi posse videtur.

Conf. Q. 5.  
Praxin Stahl.  
Sectio 1. §. 7.  
P. 243.

Tempus autem ejusmodi evacuationibus aptissimum sine dubio illud habendum erit, quod ipsum ad sanguinis abundantiam non modo confert, verum etiam incommodis ex illa provenientius quam maxime favet. Ver itaque & autumnus illa anni tempora esse videntur, quæ ejusmodi evacuationes exposcant, cum enim per hyemem appetitus plurimum vigeat, nec minimum, ob aëris inclementiam, a plurimis corporis exercitium suscipiatur, corpus ceteroquin a frigore firmatum, humores sat bene elaboret, humorum inde copia comparatur, quæ humido- tepida vernali tempestate non modo facillime increfcit, verum exagitata quoque gravissimos inducere morbos valet. Atque idem de autumnali tempestate sentiendum erit, liberior enim, quæ per æstatem succedebat transpirationis, cum autumnali appricitate & inclementia facile cohibeatur, qui non ex copia humorum pendentes suscitari morbi poterunt? cumque hoc præsertim tempore evacuationes superflui sanguinis ipsa molitur natura, & frequens observatio morbos a plenitudine humorum hisce præsertim invadere temporibus docet, nonne Vsectionis usus qui

Quod tempus  
Vsectionibus  
præservatoriis  
conveniat.





Conf. Uratislavienſes in ſuis collectio- nibus, quæ anno 1718. notatu digna habuerunt p. Conf. Aphoriſ. Hypocrat. Sec- tione VI. Aph. 47.

qui rationi conſentaneus eſt, inde confirmatur. Similem- que obſervationem optimi Medici, quod evacuationes prophylacticas hiſce temporibus inſtituendas ſuaſerint, fe- ciſſe videntur. Quibus Vſectio aut purgatio conducit, hiſ vere convenit, venam ſecare, aut purgationem facere, effatum HIPPOCRATIS eſt. Damit mit deſto beſſerem Nachdruck die Verminderung des Geblüts geſchehe, iſt nöthig, nemlich, ſo viel es die Umſtanden erlauben, dieſe chirurgi- giſche Abzapfung und Verminderung zu rechter und bequemer Zeit vor die Hand zu nehmen, vornemlich um die Zeit da Tag und Nacht gleich, oder wann Laub und Graß hervorſticht und abfällt, verba ſunt STAHLII. Vſectio vere & autumnò præſertim tempore æquinoctiali convenientiſſima eſt, ſum- mumque corporis a variis afflictionibus defendendi præ- fidium conſtituit, FRID. HOFFMANNI opinio eſt.

Conf. Q. S.

Conf. Q. S.

Quantitatem jam quod attinet, ea neque ſit nimia, quæ vires deprimat, neque adeo levis, ut nihil factum fuiſſe videatur. Nimia humorum detractio vires vitales infrin- git, habitumque corporis infirmat, unde ex illa humo- ribus accumulandis aptius redditur, a parciore autem eva- cuatione, cum (teſte experientia) phænomena non aufe- rantur, atque conamina toties naturæ ad evacuationes ſuſci- tentur, periculum non avertitur. Corporis præprimis ac roboris habeatur ratio, graciles præ pinguibus Vſectiones fortiores melius ferre obſervatio docet. Detractiones ab octo unciis ad duodecim ſufficere, mihi hætenus viſæ ſunt.

Duo præterea hic nobis monenda videntur: primum, quod, tutiſſimum licet ac præſtantiſſimum Vſectio reme- dium ſit, ad ſanguinis quantitatem imminuendam, noxas- que ex illa avertendas, incautiſſime tamen illi agant, qui huic tanquam ſacræ anchoræ confidentes, ne denuo humo- rum copia præter modum augeatur, inutilem curam exi- ſtimant: licet enim id non levis momenti negotium ſit, longiusque propterea expoſcat tempus, profectiore tamen ætate



ætate, victus moderati ope, obtineri poterit. Hincque alterum est, quod moneamus, ne mutata licet regiminis ratione consuetæ evacuationes citius postponantur; cum enim teste experientia integræ constitutionis mutatio, nonnisi a successu temporis & ætate præprimis obtineatur, a convenientibus evacuationibus non nisi successive erit remittendum.

Itaque cum in sanis, vegetis, & bene valentibus Vse-  
tionis præservatoriæ utilitatem & ratione & autoritate  
stabilivimus, ut & summos illius usus in firma minus  
valetudine specialius ostenderemus, restaret. Verum  
cum Dissertationem, non tractatum scribendi nobis ani-  
mus sit, temporisque angustia nos premant; aliam  
ad occasionem propositum servasse ne-  
cessum est.





## COROLLARIA

EX

## UNIVERSA MEDICINA.

I.

**S**olidum vivum dicimus, quod vi vitali pollet.

II.

*Vis vitalis solidi est, qua id ad contactum irritamenti se contrahit, & crispat.*

III.

*Hæc vis sensibilitati debetur, quæ a principio sentiente.*

IV.

*Sanitas est ille solidorum ac fluidorum corporis humani status, in quo ad actiones sibi competentes, sine molestia ac diu peragendas idoneum est.*

V.

*Solidorum & fluidorum ea mutatio, quæ functiones sensibiliter lædit, morbus dicitur, cognoscitur ex Symptomatis. Caveat Medicus ne Symptomata ex principio sentiente salutaria, tanquam a causa morbi immediate pendencia habeat, hisque cum detrimento obluctetur.*

VI.

*Causa vera & proxima morbi est id, quod dictam mutationem efficit, nunquam simplex est, sed ad illam tum principia prædisponentia, tum procatartica requiruntur.*

VII.



## VII.

*Ex principii sentientis conatu, ut nocivum ex corpore removeatur, ex stimulo vel noxii resistantia, reddi potest ratio originis morborum, lenti & subiti incrementi, decrementi, perfectæ vel imperfectæ sanationis, & vicissim.*

## VIII.

*Medicinam universalem, Arcana Agytarum Specifica, curasque Sympatheticas ingenuus Medicus deridet.*

## IX.

*In morbis inflammatoriis cum pulsus duritie optimum anodynum est venæ sectio, optima autem resolventia nitrum, oxymel, aqua, acetum, derivantia clysmata.*

## X.

*In Febris Biliosis emetica conveniunt, ipsæque his peripneumoniæ biliosæ non raro superantur, noli tamen omnem febrim cum gravi respiratione, tussi, & sputo cruento pro inflammatione pulmonum habere.*

## XI.

*Spirituosa in hystericis caute adhibeantur, iis prægressa debita præparatione Cortex peruvianus, limatura Martis, amara, corporis exercitium, aër ruralis, victus facilis, nec delicatus tamen, melius conveniunt.*

## XII.

*Signa graviditatis, omnia fallacia sunt, si fœtus motum excipias.*

## XIII.

*Partus naturalis contractione uteri & nisu Matris absolvitur; fœtus ad sui exclusionem nil active contribuit.*

## XIV.



## XIV.

*Fœtus vivus, qui via naturali ob nimiam pelvis angustiam nasci nequit, potius operatione cæsarea excindendus est, quam mutilandus, & enecandus. Interea tamen ubi valde probabile est, fœtum esse mortuum, nec, dummodo pelvis angustia non obsit, manu extrahi possit, satius est, lethiferis illum producere instrumentis, quam cum fœtu matrem certo relinquere exitio.*

## XV.

*Operatio Cæsarea non est per se & absolute lethalis.*

## XVI.

*Lethalitas & non Lethalitas ex natura & conditione vulneris & partis læsæ eruuntur, nec minus ad applicata remedia & illorum effectus respiciendum.*

## XVII.

*Falsa est ista opinio, nullaque plane nititur fundamento, vulnerato nonam aut decimam diem supervivente vulnus lethale non fuisse.*

